

CLARISSIMO VIRO D. GEORGIO COmiti ab Erpach, Palatinatus Rheni Archipincernæ, Præsidi Alsatiæ &c. Domino suo Clementi, Philippus Melanchthon. S.



VM PRO ea admiratione, quã de te, Clarissime uir, q̃ tempore & Lipsię te primum uidebã, & de rebus grauissimis, ut tũ forte inciderant, cum summa prudentia, summaq; facundia disserentem audiebam, concepi, singulari quodã studio erga te accensus fuissem, iã olim equidem optaui, animum atq; uoluntatem hanc meam digno atq; idoneo aliquo argumẽto tibi declarare posse. Ea enim pulcherrimarum rerum propria quædam uis est, ut non solum animorum nostrorum sensus, recordatione sui afficiant atq; oblectẽt, uerum etiã eiusmodi

eiusmodi desyderio impletos a se dimittant, ut quãtumuis procul amotus atq; sepositus fueris, subinde tamen recurrere & ad ea quę absunt, præsens referri, tibi uideare. Et quẽadmodum in excellentibus picturis ac tabulis accidere nobis ipsi uidemus, ut oculi nostri contemplando, satiari fere nunq̃ possint, semperq; nouum aliquid spectantibus nobis sese offerat, quod discedentes ultro alliciat, detineatq;, ita ipsa uirtus quoq; sensus atque cogitationes nostras trahit, neq; unq̃ a sui admiratione quiescere, longius ue recedere permittit. Itaq; etiam fit, ut non modo ipsi intra nos earum rerum, quarum studio atq; amore ita tenemur, uoluptatem capere contenti simus, uerum etiam nescio qua ui compulsi aliis quoq; eadem illa, quibus nos afficimur, prædicare atq; cõmendare subinde studeamus: ac perinde atq; ungẽto aliquo delibuti odores nostros in obuios ac proximos quosq; diffundimus. Proinde cũ eodem modo erga te, Clariss. uir, ego quoq; cõmotus & incensus iam diu essem, cuperemq; studiũ atq; affectum hunc meũ etiam opere, ac ceu manifesto aliquo signo, testatũ facere, nuper posteaq̃ Lucianicũ in Demosthenem Encomium scholæ nostræ publice interpretandũ cœpissem, ipsumq; libellum pro meo more ac modo, Latina oratione uertissem, operã



[redacted]

DE OBITV

IOHANNIS STOEFLER IV-
STINGANI, MATHEMA-
TICI TVBINGENSIS,
ELEGIA.

Hæc obitum Stœfler describit Epistola docti,
Quem meliore sui uiuere parte leges.
Sola tuetur ab interitu nos inclyta uirtus,
Ire sed in cineres membra caduca solent.

PER THEODORVM
REYSMAN.

Anno. M. D. XXXI.



AD REVE-
RENDISSIMVM AVGVSTANAE

*dioeceſeos Epiſcopum, dominum Chriſto-
phorum ab Stadian.*

HAec præclare uirũ tibi uenit Epiſtola, curſu
  Qua uitreo Blauus culta uireta rigat.
Spero te ſolito ſuſcepturum iſta fauore,
  Eſſe bonis ſtudijs pergere uelle patrem.
Virtus Stœfleri ſub te quoq; digna putanda eſt,
  Viuere quam teſter, membra caduca gemam.
Aëris inclemens ratio nos ire Tubinga,
  Ad Blaui iam tum littus abire iubet.
Tempus Aminæi iam tum referebat Iacchi
  Prægnanteis ſucco muſtea dona botros.
Qui docuit Phœbi curſus, Lunæq; labores,
  Stœfler nobiſcum littora dicta petit.
Officium populi nobiſcum amplexus ad amnem,
  Molliter hic aliquot uixit & ipſe dies.
Vere nouo terræ iam ſoluier incipiebant,
  Et reditum Zephyri, cuncta uireta parant.
Stœfleri magis, atq; magis defecta ſenectus.
  Viuida mens, tardant membraq; caſta rogum.
Et latus, atq; acies oculorum debilitata.
  A cana uertex albuit ipſe coma.

Auris & officium uix, ægrè pes facit illud.
Et mens in tepido corpore sola calet.
Socraticas tamen hic gaudebat uoluere chartas,
Hunc & adhuc libris incubuisse iuuat.
Ille tamen dulci est correptus sæpe sopore,
Et manibus tenuit, mordicus atq; librum.
Adproperare uidens extremi tempora fati,
Nuntiat ante diem, quàm fuit ille, suum.
Antè tamen patribus nostris diuina supellex
Legata est, nostri Bibliotheca senis.
Qui dedit, hinc animam Christo cõmendat Iesu.
Caussa doloris erant mortua membra uiri.
Chartaq; mox aliqua tunc est suspensa columna.
Funebris nostro figitur hora gregi.
Curru quadriiugo rutilum iam Mane uehebat
Postera clara dies, conuocat hora uiros.
Ordo uirûm, iuuenumq́; uenit, matresq́; secutæ.
Soluimus & cano debita iusta seni.
Hic se mandarat nostram inuectarier urbem,
Posse Tubingiaco membra putrere solo.
Hic, ubi uixisset. portam comitamur ad ipsam
Blaui, qui solito tristior ipse fluit.
Stœfleri melior comitatos frigida membra
Pars consolatur cœlica regna tenens.
Hæc eadem ratio solata est mœnia nostra,
Castalios ciueis clara Tubinga tuos.

Inter & hos primum Simleron, te quoq; Galle.
Laudanda patriam uos animatis ope.
Nos in secessu uitaleis carpimus auras,
Speranteis reditum per pia uota bonum.
Sed uos præsenteis patriæ. uirtuteq; uestra
Sic sacra, ut docta redditur illa sibi.
Exequijs quoq; uos Stœflerum condere doctum
Non puduit, summo claudere honore uirum.
Non etiam precibus contenti. florea dona,
Lilia sparsistis, cum uiolisq; Rosas.
Sparsus odor Casiæ, de lutheola quoq; Caltha.
Vitam ceu flores iuncta senecta premit.
Vix dum nata etiã moritur Rosa. nascimur, & mox
Ceu Rosa, ceu Violæ, Calthaq; decidimus.
Tempora prætereunt. sequitur Ver labilis Aestas.
Proterit Autumnum Bruma, diemq; dies.
Horam ceu rapit hora, fugax ut defluit amnis,
Defluimus, rapimur, ceu Rosa decidimus.
Omnia prætereunt. constans manet inclyta Virtus.
Viuitur hac sola. cætera morte cadunt.
Ista uidens Stœfler mox, & iuuenilibus annis
Ad nostram sese contulit ipse scholam.
Hunc patrium Iustinga solum non detinet, arua
Dulcia, materni tectaq; nota foci.
De Stœffel Comitum fauor hunc, nõ aula retraxit,
Quæ tamen his annis gratior esse solet.

Gnauiter his se exercet studijs, quæ semper adhæret,
Quæ nullum casu deseruere graui.
Et quorum fructus fluuij non defluit instar,
Quem rapit hora tibi, ceu Rosa quiúe cadit.
Mœnia seu patriæ te cingant, Musa decorat.
Vtilis, & laudi est ciuibus illa tuis.
Illa manu medica corpus, mentemq; fouebit,
Instituet prolem, dicere iura potest.
Viuis ab urbe foris, proprio de rure beatus?
Non dedignatur uiuere Musa comes.
Mugitus auditq; boum, fluuiosq; sonanteis.
Carmine bucolico flectit aratra, boues.
Pro patria, contra Turcam lituosq;, tubasq;
Audit, & hortatur fortia corda uirûm,
Cornua dirigit hæc, aciemq;, hastasq; minanteis,
Hosteq; deuicto parta trophæa refert.
Druchsæum decus, & Speti, Fronspergaq; proles
Tutando patriam qualia sæpe tulit.
Viuis in exilio, solatur Musa benigne,
Et patriam tanto monstrat in orbe tibi.
Nec sinit illa mori benefacta imitanda bonorum.
Hinc legis Aeneas, hinc Fabiosq; legis.
Hæc facit, ut simileis non oblinat ulla uetustas.
Perpetuos cœlo Musa beatq; dies.
Legimus & multis, quos naufraga puppis in alto
Merserat, Aonidas restituisse decus.

Testis Aristippus,genuit quem clara Cyrene,
Artibus his quantum possit inesse boni.
Sorpserat huius opes Neptuni irata procella,
Et uix cum socijs enatat ipse suis.
Mox Arteisq; nouenarum docet ille sororum,
Resq; secunda fuit clara priore magis.
Vnus ut in patriam se uelle redire doceret,
Mandandis rebus nuntius esse petens.
Prompsit Aristippus sapienti pectore uocem,
Ciuibus ut ferret talia uerba suis.
Artibus erudiant illis cum prole nepotes,
Quas non tempestas,sors,minuatúe dies.
Voxq; Prienæi non est reticenda Biantis,
Septenos inter nobilis ille uiros.
Ille diu patriam tutatus ab hoste Prienen.
Consilioq; diu tuta Biantis erat.
Hæc eadem tandem est uiolento Marte petita,
Hostibus hæc tandem uictaq; succubuit.
Funera sors belli,facit hæc incendia, morteis.
Ignis edax properat cuncta uorare bona.
Quiq; aderant reliqui properant,fugiuntq;,ruuntq;.
Casibus his potior uiribus,ille prior.
Arripitur, quod cuiq; potest comprendier aurum.
Prensus Onyx,quoq; tu lecte Smaragde uirens.
Quæsitusq; Bias,rerum cur ipse suarum,
Nil de thesauris ferret & ipse suis?

En mea cuncta fero mecum bona, digna locuta est
Cedro inter Graios gloria magna uiros.
Thesauros animo sapientia, Pieridesq;
Indiderant, ueras commoda mentis opes.
Non satis has unquàm laudatas Stœfler ad arteis
Accessit. creuit tempore fama uiri.
In studio certat Septemplicis ille Palæstræ,
Diceret ut ciuem quælibet esse suum.
Temporaq; ex meritis parta sunt cincta corona,
Primus & in patrio rure Magister erat.
Sæpe uir in mediam est de more egressus arenam,
Protulit & studij dogmata pulchra sui.
Sæpeq; sermones ad Mala reduxit ab Ouo,
Orsus & à minimis ordine summa putat.
Et quid Honoratus castiget Seruius, & quæ
Carpat Aristarchi uirgula, quæq; probet.
Aelius in uarijs Donatus ut exposuitq;
Libris hunc, atq; hunc, dogmata pulchra, locum.
In quibus Eustathij sint scripta legenda magistri,
Hic ubi difficileis excutit atq; locos.
Hinc Chrysippæos pergit dissoluere nodos,
Quid propius uero, quæq; remota magis.
Illius argutus iaculis est sæpe Sophista
Confossus, nihili dissecuitq; strophas.
Quo sit Aristoteles Stagyrita legendus honore,
A non spernendis scriptaq; cuncta Sophis.

Quoq; imitanda modo. nostros hic contudit Hydras,
Qui decus Aonidum pene iacere uolunt.
Segniter aut reuocant collapsas pene Camœnas,
Aut qui præ quæstu negligere hasce solent.
Inclyta Virtutis Maiestas nobilis illic,
Quò mens cœlestis sola uenire potest.
Non hanc ambitio, quæstus, fortunaq; frangit,
Et quantum Musis debeat, illa uidet.
Sic media Iustinganus dissertat arena.
Detulit huic laudem sæpe Tubinga uiro.
Docta, sed huic palmam Regalia mœnia, qualem
Tullio in Ausonio sæpe dedere foro.
Qua Demosthenicum Torrentem sunt ueneratі,
Preßit ut ille minas sæue Philippe tuas.
Tum quoq; Stœflerus cœlestia protulit astra,
Quæ talem posthac constituere uirum.
Vt dubites illo fuerit, maiórne futurus
Sit quisquàm. tantum fecit in arte dies.
Supposita ingenio quàm sydera cuncta fuere,
Contigit ad patrios antè redire lares.
Quid faceret? Iustinga uirum reuocauerat altrix,
Vna Pastorem uoce legitq; suum.
Hunc decuit patriæ benefacta rependere gratum,
Quæ tantis genuit talia membra bonis.
Quæ puerum in cunis solitum uagire fouebat,
Et reliquis annis officiosa fuit.

Ergò docet Mosen, Samuelis scripta prophetæ,
Et quæ Dauidis pagina sacra tenet.
Hos, quo quisq; loco Christum cantauit Iesum,
Exposuit Vates, scriptaq́; Paule tua.
Quanta pericla mari, terraq́; subire paratus
Tu fueris, patrio perdócet ille solo.
Sed, studet ingenio furtim quoq; subdere, cœli
Quæ non dum fuerant sydera nóta uiro.
Inq; breui spatio reliquum complexus, ut indé
Nosset uti digitos omne Mathema suos.
Publica facta uiri mox dogmata. mox reuocatus.
Hunc repetunt animi, clara Tubinga, Patres.
Tunc patriā gemitus, lachrymæ, dolor atq; replebāt.
A lachrymis flumen fecit abire dolor.
Illius & cursu maduerunt rura paterna,
Quæ studuere sibi rite tenere uirum.
Hæc sermone graui compescuit, ista loquutus.
Debeo multa tibi Patria, multa meis.
Hanc etenim lucem tu posse uidere dedisti.
Sedula tu nutrix & mihi semper eras.
O utinam tibi plura queam conferre, studendo
Prodessem Laribus per benefacta meis.
Nunc animi Patres reuocant. his plura fatendum est
Deberi. mens est corpore nobilior.
Arte uirum, & pietate grauem designat, ut illum
Audirent, longum dixit & inde Vale.

Exceptus noster quanto est Stœflerus honore?
Quom redit ad Proceres clara Tubinga tuos?
Aduentum Iustingiacus quo carmine Vates
Bebelius celebrat? quo reliquiq; modo?
Tunc Philomela, suo Stheneleus carmine Cygnus,
Dulce melos reliquæ concinuistis aueis.
Cætera quid memorem? reditum gratantur ubiq;.
Lætior in cursu Neccharus amnis abit.
Multos hinc annos docuit sua sydera Stœfler.
Illius auditor Capnion ipse fuit.
Regius atq; docens sinuosa uolumina iuris,
Tuq; Hippocraticis docte Rudolphe libris.
Balthasar, exponens oracula sacraq; Brunus,
Et reliqui Proceres, nomina clara uirûm.
Ante alios omneis Iacob suffragia Lembi
Stœflero laudem sæpè dedere suam.
Ille Conon alter paruo est complexus in orbe
Terras, & radio cætera quæq; suo.
Quî terras omneis circunfluat Amphitrite.
Ingens extulerit Cetus ut indè caput.
Vrbibus, & gemmis diues, bifer Indus ad ortum,
Vt fluat. aurifera distet ut Hermus aqua.
Carolon occiduo quòd tractatu Hispania pugnax,
Quotq; plagæ reliquæ sceptra uerenda colant.
Quot regnis Ferdinandus, quot Carolus ipse,
Germana Turcam frangere posit ope.

Quantum sic miles, pluris conductus & Heros,
Collectis numeris Myrias ipsa petat.
Hinc, quos subijciat populos Erymanthidos Ursæ,
Et quos Sol medio percoquat ipse die.
Ista quiete carens quî temperet omnia Cœlum,
Et quo se uegetent corpora prima modo.
Quæ ratio sit Sphærarum. Stellás ne putarit
Decidere, ignitos nocte micante globos.
Sint Phœbi statio Procyon, tropicus Capricornus.
Queis æquet spatijs Libra, Ariesq; diem.
Andromadæ sydus, quid Caßiopëia, Cepheus,
Quidq; Medusæum lumina pulchra caput.
Horum naturas, ortus, casusq; docebat,
Et cecinit dulci carmina sæpe lyra.
Dulcibus ille modis uiuentia membra acuebat,
Cuius membra putrent, dogmata semper erunt.
Quid prodest, lachrymis testari mortua membra?
Quòd leuat haud gemitus Barbitos ulla meos?
Quid iuuat atq;, Elegis corpus deflere sepultum,
Tristitiaq; ut largis fletibus ora fluant?
Solis ut ipse calor ceramq;, niuemq; resoluit,
Soluimur, in cineres ireq; membra solent.
Fœlix, qui potuit superare hæc noxia membra,
Excoluit mentem, Stœfler ut ille, suam.
Hunc æquare uirum non est, tamen altius ibis,
Huius ad exemplar si tua facta pares.

Audire hunc, sed & hunc longinquis uisere terris
Venerunt clari sæpe cohorte uiri.
Illi doctrina famam dixere minorem.
Talibus hinc uerbis condita Busta noto.
Quadruplicis Mundi caussas, cœlestia signa,
Quo docuit Stœfler sint reuoluta modo.
Est uirtus, & fama uiri super æthera nota.
Illius Eous dogmata, Vesper habet.
Quanta sit hocq; Tubinga uiro, Garamãtes, & Indi
Norunt, Iustingi rura paterna soli.
Famæ uixq; capax habitabilis utraq; Zona,
Exanimeis artus Vrnula parua tegit.
His ego uersiculis Stœfleri Busta notabam.
Vt potui, solui debita iusta uiro.
Illius in libris nosces ex ungue Leonem.
Vnum de multis, qui tibi monstret, emas.
Scripsit Ephemeridas, uenientia tempora, nuper,
Prædixit multos tempora longa dies.
Cætera prætereo ceu nota, sed illud habebit,
Vt dicas Musæ pondus inesse meæ.
Hic magna pietate fuit, magna uir & arte.
Ille diu nobis uiuere dignus erat.
Mors tamen haud parcit pueris, iuueniq;, seniq;.
Hac rapitur sæua diues, inopsq; simul.
Intereunt matres hac, innuptæq; puellæ.
Omnibus unda tua est traiicienda Charon.

Irus egens, diues Rex Attalus, hac puer ipse
Est sublatus Hylas, hac Pyliusq; senex.
Hectoreum robur, cecidit formosa Virago,
Quæ tibi caussa mali Troica terra fuit.
Alcides, sapiensq; Cato, fortisq; Metellus,
Cum Decijs Marij puluis & umbra iacent.
Nolens à Parcis trahitur. ducuntq; uolentem.
Hoc quoq; Stœflerus mortis abiuit iter.
Hanc contra firmat se mox iuuenilibus annis.
Sunt per eam cano parta trophæa seni.
Nam per eam sedes ingressus ut inde beatas,
Quos docuit uiuus, nunc tenet ille polos.
Abstinuit Venere, & Baccho. non tempus abire
Est passus ludo. numine plenus erat.
Fortunatorum nemorum cœlestia tecta
Non dubium est talem posse tenere uirum.
Ver ubi perpetuum, Musæon ubi inter, & ipsum
Threicium Vatem Sœfler honore sedet.
Inter fœliceis animas ubi pulsat eburno,
Et non mortali pectine læta canit.
Hic, ubi Nectar, & Ambrosiam comedũtq;, bibũtq;,
Et sua defleri membra sepulta negant.
Gaudet enim, quòd quisq; suo sit carcere liber,
Digna, quòd & fiant corpora nostra cinis.
Sæpe etenim nostræ mala sunt occasio menti,
Nos à perpetuis alliciuntq; bonis.

Obiiciunt tenebris, quas est Amphrisia Vates
Complexa, Aeneæ monstrat & ipsa suo.
Inter fœliceis Stœfler sua sydera cantat,
Sidonios numeros, dogmata Nile tua.
Illius hinc abitum Præsul Clarißime uulgans,
Nominis ecce tui carmen honore uiget.
Tanti Zoilus ut uideat bona tela Patroni,
Et caueat nobis uelle nocere malus.
Te uelut obiecto muro defendar, & huius
Vt maledicta canis præpediisse queam.
Ergò mihi uirtus Stadiani sanguinis, atq;
Nobile Christophori est Anchora sacra decus.
Te Proceres illos inter, queis Christus ouile
Commisit, numerem, clarus honore micas.
Manant Castalidum sacro tibi pectore uerba,
Illa fluunt, grati mellis ut ipse liquor.
Cura, salusq; tui gregis adflixit tua sæpe,
Membra soporifera sæpe quiete cares.
O quoties aliquis medicum te ferre uolentem
Auxilium dictis talibus admonuit.
Neruus ut extentus præforti semper in arcu
Rumpitur, & corpus frangere cura potest.
Quæ nimia est. orbi Præsul Clarißime lapso
Consulere intenta mole quiesce semel.
Misce Terpsicoræ dulceis cantusq;, iocosq;,
Augebit multos cura leuata dies.

Curarum pondus uix admonitusq; remittis.
Ardes commißi tantus amore gregis.
Si tua ſtemmata,ſi coner proauosq; referre,
A claris genus es,nobilis ordo uiris.
Suſpenſa ad Blauum Stadianæ inſignia gentis
Clarent,in ſacro peneq; prima loco.
Nam Blauum quondam uirtute,& Marte potenteis,
Cæſarei Comites hæc tenuere loca.
Magnorum Regum primi,fidiq; ſodaleis,
Quos ideo Comites turba Latina uocat.
Qualis Aceſtes,& fidum quem ſcripſis Achaten
Vates,& reliquum ſtemmata clara genus.
Helfenſteynorum taleis ataui,proauiq;,
Inter Teutonicum nota propago decus.
Hæc loca qui quondam rexere,ubi Signa tuorum
Suſpenſa,in dicto peneq; prima loco.
Nunc Bernhuſiacus ſanguis, Stadianaq; proles,
Nobile ſtemma tuum,littora noſtra tenet.
Hos quoq; Stœflero uidi pia ſoluere Iuſta,
Cum ſtudioſorum per ſacra uota grege.
Danubio uehitur Blauus,tua mœnia lambens,
Vecta Tilingiacum,carmina noſtra dedit.
Præſes Vindelicæ Cathedræ,qui noſtra tuendo
Lecta probas,ſtudio perge fauere meo.

FINIS.

Auguſtæ Vindelicorum per Alexandrum
Vueyſſenhorn. M. D. XXXI.

